

plusquam apri Calydonii: partim publica studiosorum utilitas, quos videbam à tam eximiiis epulis hisce rebus submoveri, ut Epistolarum volumina (quæ quò plus habebant eruditionis & eloquentiæ, hoc scèdus erant depravata) pro mea virili restituerem, haud quaquam ignarus, quàm duram & arduam adirem provinciam. Jam primùm enim ipsa tot voluminum inter se collatio, quantum habeat rædii, norunt hi, quibus usu venit in hoc pistrino versatos esse. Et saepe cum his voluminibus erat res, quæ vel legere non mediocris esset negotii, quippe literarum figuris, vel carie situque obliterated, vel tinearum ac blattarum injuria semiosis ac mutilis: vel Gotthorum, aut Longobardorum more depictis, ut in formis etiam noscendis mihi fuerit recuperascendum: ut ne commemorem interim, quòd illud ipsum, animadvertere ac velut olfacere, si quid parum respiciat germanam ac veram lectionem, hominis esse, mea sententia, nec ineruditi, nec stupidi, nec oscitantis. Atqui super hæc longè difficillimum est, aut ex variè depravatis, quid ab auctore positum fuerit, conicere: aut ex qualibuscunque figurarum fragmentis ac vestigiis, primam divinare lectionem. Ac rursus ea res, cum ubique plurimum habet difficultatis, tum verò potissimum in libris Hieronymianis. Idque pluribus de causis accidit. Primùm, quòd ipsum dicendi genus, haudquaquam triviale sit, sed sententiis variegatum, epiphonematis argutum, strophis obliquum ac varium, argumentis densum & instans, allusionibus festivum, nonnunquam variis rhetorum schematis veluti lascivens, ubique doctum & artificem præ se ferens. Unde factum est: ut quò longius hujus oratio abest à simplicium intelligentia, hoc pluribus mendis fuerit contaminata: dum hic scribit, non quod legit, sed quòd intelligit: ille depravatum existimans, quicquid non assequitur, utcumque visum fuerit, mutat scripturam, animi modo sui secutus somnium. Rursus alius fortè deprehendens corruptam esse scripturam, dum ex levi conjectura nititur emendare, pro unico mendo, geminum inducit: & dum vulnuscule mederi studet, vulnus infligit immedicabile. Accedit ad hæc varia quædam & admirabilis omnium rerum mixtura: quam affectavit etiam Hieronymus, sed omnino felicissimè, pia nimirum ambitione, & sancta quadam ostentatione jactans opes suas, quò magis veterum nobis excutiat, & oscitabundos ad arcana scripturæ studium expergeficiat. Quid enim est usquam in ullo, vel auctorum, vel literarum genere, quòd ille passim non aspergat, inculcet, infulciat? Hebraica, Græca, Latina, Chaldaica, sacra, prophana, vetera, nova. Denique quid non? Sic ille velut apicula per omnia circumvolitans, ex unoquoque quòd esset eximium, ad operis sui mellificium congestit, ex variis flosculis hinc illinc decerpitis, ferta concinnans: aut velut ex versicoloribus tessellis, musaicum opus contextens. Et in his quòd maximè retrusum est, id libentissimè consuevit intertexere. Quid enim tam abditum in Prophetarum involucri, in totius instrumenti veteris mysteriis, quid in Evangelicis aut Apostolicis literis, quòd ille non ceu notum adhibeat: nonnunquam sic alludens, ut nec

animadvertatur, nisi ab eruditis & attentis? Quid in Hebræorum, aut Chaldæorum monumentis, quid in rhetorum, cosmographorum, poetarum, medicorum, philosophorum, denique hæreticorum libris, unde non aliquid suo artexat volumini? Ea cum intelligi non queant, nisi undequaque doctis, etiam si forent emendatissima: quid fieri credis, cum ita vitiata, mutilata, confusaque sunt omnia; ut si ipse revivisceret Hieronymus, libros suos nec agnosceret, nec intelligeret? Super hæc omnia, fuit & illud incommodum, quòd maxima pars auctorum è quorum fontibus sua mutuatus est Hieronymus, interit: quorum præsidiiis utcumque sarciri poterat, quòd erat jam toties depravatum, aut etiam omisum. Siquidem in extremis rerum difficultatibus, ad hanc ceu sacram ancoram confugere solent eruditi. Nam me quidem, postquam neque gloriæ, neque qualis gratia laboris hoc suscepimus, non perinde movebat: quòd alium fortasse procul ab hujusmodi negotio capeffendo deterruisset. Quid istud inquit? Nempe quòd, ut non alius est labor, qui plus adferat rædii molestiæque, ita rursus nullus est unde minus ad suum redeat auctorem, vel gloriæ, vel gratiæ, propterea quòd omnis hujus laboris utilitas sic redit ad lectorem, ut non modo non sentiat nostros sudores, quibus fruitur, sed ne suum quidem commodum, nisi si quis fortè nostra cum vulgatis codicibus contulerit. Ac dum ille in pratis amœnissimis ociosus errat, ludit, & currit inoffensus: haud æstimat, quando, quàm odiosè nobis luctandum fuerit, cum spinis ac vepribus, dum illi campum hunc repurgamus. Nec expendit, quando vel unica vocula nonnunquam torserit emendatorem, nec venit in mentem quàm multa nos offenderint, hoc molientes, ne quid sit quòd illum remoretur. Quantis difficultatibus parata sit illa facilitas, quantis molestiis constiterit, quòd ille nihil sentit molestiæ. Sed ne molestus sum, omnes hujus negotii molestias persequens, unum illud & verè dicam & audacter, minoris arbitror Hieronymo suos constituisse libros conditos, quàm nobis restitutos, & paucioribus vigiliis apud illum natos fuisse, quàm apud nos renatos. Jam ex hoc cætera sibi quisque conjiciat. Quid hic commemorem ingratiissimam quorumdam hominum imperitiam, qui nihil omnino novari volunt in bonis auctoribus: qui cum ipsi nihil agant, aliorum præclaris conatibus semper obstrepunt: homines adeo pingui judicio, ut his mendosum sit, quicquid rectum est: contra nitidum & elegans, quòd fordidissimè conspurcatum: ad hæc adeo perverso, ut cum eruditis non patientur esse jus magno studio depravata corrigendi: tamen iidem quibuslibet nebulonibus permittant impunè suo arbitrato summorum virorum libros contaminare, scèdare, perdere. Proinde necessum est fieri, ut à plerisque nullam referas gratiam: ab his postremis, malam etiam pro bono officio gratiam reportes. At quæstum quidem facilè negligit generosus animus: gloriæ & laudem facilè contemnit Christianus. Porro gratiam pro meritis expetunt & optimi quique, &c

SANCTO HIERONYMO STRIDONENSI

FALSO ADSCRIPTORUM OPUSCULORUM

TRIPARTITA SERIES

In cujus prima Parte editæ sunt Epistolæ quarum Auctores ignorantur.

In secunda ponuntur ea quæ suis titulis proprios testantur Auctores.

In tertia similiter quæ suos Auctores ipsa præ se ferunt; sed quæ parum docta habentur.

Omnia diligentius edita cum Censuris Erasmi ac Mariani Victorii, cumque variis aliquot Lectionibus manuscriptorum Codicum, & Adnotationibus nostris.